

tis, thesaurum desiderabilem ne lateat cum gleba quod gleba non est, sed pretiosissima margarita. Accidit tamen ei contra desiderium suum: quia, sicut ipse in præfatione sua vereri se denuntiavit, præoccupatus morte non explevit, quantum animo conceperat stylo mandandum. Itaque qui accedit ad læctionem operis hujus, facile satis intelliget, a quanta perfectione pius puer et religiosus Bernardus, velut alter Benedictus, primordia conversionis fuerit aggressus, qui et in utero matris significationem [al. sanctificationem] visus est accepisse, de qua concepta sunt præsentia futuræ sanctitatis illius vitæ pariter et doctrinæ. Quid etiam adolescens factus agere cœperit, in præscripto narratur opere; ac deinceps usque ad virum perfectionis depingitur diligenter, quantum sicut jam dictum est, licuit optimo pictori, sed præoccupato.

LIBER SECUNDUS.

AUCTORE ERNALDO [al. ARNALDO] ABBATE BONÆ-VALLIS, IN AGRO CARNUTENSI.

1090 PREFATIO.

Virorum illustrium gesta nonnulli scriptorum laudibus attollentes, verbis ea solemnibus celebrant, quantum excellentis ingenii et disertæ linguæ potuere conamina. Cumque tractator et opus junctis complexibus pari sunt fœdere conjugati, et ad propositum thema ordinandum ingenium et eloquentia convenerunt, prospere actum est, et ad quietum tranquillumque portum directo gressu materia digne ordinateque disposita appulit. Ubi vero sublimitas negotii sub imperito artifice naufraga illiditur scopulis, et succumbente sensus hebetudine, tractatoris lassatur præsumptia, sero de correctione initur consilium: quia quæ in multis effusa sunt, nec revocari possunt, nec corrigi; et dissonantiam scripti et operum venustius esset abradi, quam emendari. Hæc ergo mecum reputans et revolvens, omnino timeo, ne sicut ipse multorum imprudentiæ soleo indignari, qui cum scientia et fiducia careant, ad scribendum præcipites, cum se vehementer emunxerint, eliciunt sanguinem: ita et ego si quod supra me est aggrediar, me ipsum derisioni exponam. Quis enim ego sum, qui ad scribenda gesta sanctissimi viri Bernardi Claræ-Vallis abbatis aspirem, qui nostris temporibus singulari religione floruit et doctrina: cujus odor exinatus universam replevit Ecclesiam: cujus gratia, operante Domino, signis et miraculis declaratur? Quot in monasterium ejus litteratos viros, quot rhetores, quot philosophos sæculi hujus scholæ miserunt ad conversationem theoreticam, et mores divinos? Quæ non ibi floruit disciplina, ubi erant examina magistrorum, et egregii viri exercitato intellectu insignes, qui divinis studiis inhaerentes, multis gratiarum auctoramentis invicem se ipsos edocent et accedunt? [Quorum unanimes universitas cantat canticum graduum; et ascendens cum Jacob in summitate scalæ, in decore suo Deum videt radiantem corona perspicuum.] Debuerant utique viri illi, quibus nihil in aliqua gratia deest, hunc laborem assumere, et venerabilis Patris insculpere monu-

menta: ut esset eorum studio delectabilis pagina quam quasi viventem traderent legendam discipulis, et perpes fieret consolatio secus positis reliquiis sacri corporis et sermonis. Sed extrema æmulari, et quæ homines lateant, Claræ-Vallis censuevit humilitas: et proferre in publicum aliqua sui indicia viri illi nobiles erubescunt; et quietiores facit eos contemptus et abjectio, quam quælibet oblatio dignitatis, in qua sibi professio humilitatis periclitari videtur. Ob hujusmodi causas sese intra silentii cardines retinentes, magis in sacco eremi, quam in socco [al. serico] palatii delectantur: nec jam in stylo, sed in cruce gloriam quærunt. In hoc ergo, sicut et in cæteris ejusmodi, negotiorum suorum sarcinas aliis libenter imponunt. Et nunc sublato venerabilis memoriæ domno Guillelmo, qui ejusdem Viri sancti gloriosa primordia fideliter et devote conscripsit, ad meam exiguitatem hujus operis devenit petitio, et imposuit mihi dilectæ Ecclesiæ charitas, ut coquam pulmentum filiis Prophetarum. In quo si colocynthidas miscuero negligens, superjecta, **1092** ut confido, farinula condiet Blisæus, et excessus insipientiæ obedientiæ excusabit affectus.

CAPUT PRIMUM.

De pontificatu Innocentii II. opera S. Bernardi fortiter et feliciter vindicati. Item de profectione Pontificis in Gallias, et repressione Imperatoris.

1. Ea tempestate Honorius papa viam universæ carnis ingressus est (an. 1130). Nec mora, in electione dissidentibus cardinalibus, et divisa Ecclesia, plures numero, et saniores consilio, vita probabiles, viri virtutum, presbyteri, diaconi, episcopi, Innocentium elegerunt: cujus vita, et fama, et ætas, et scientia digna summo sacerdotio hebebantur. At vero pars altera, infames ausus violentia, non ratione corroborans, Petrum Leonis, ad hunc apicem aspirantem, fraudulentis machinationibus seorsum et præcipitanter nominavit Anacletum, et cæteris renitentibus ordinavit. Qui vero in parte catholica erant, electum suum solemniter ordinatum collocarunt in cathedra,

et per loca illa, in quibus sessiones habent ex antiqua consuetudine Romani pontifices, circumduxere, et pro tempore honor debitus apostolicæ adfuit dignitati. Et tunc sane circa Lateranense palatium morabantur, nec erat jam eis tuta in domibus propriis mansio, cum eos acerrime Petri satellites infestarent. Ibi etiam diu resistere non valentes, per confederatos sibi quosdam ex nobilibus Romanis ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt. Sed nec in eis perseveravit fidelitas. Nam in brevi, aut vi, aut formidine temerariæ multitudinis, aut pretio corrupti sunt. Nam Petro tam propria generis virtute, quam adhærentium sibi affinitate, multitudo tanta erat, ut fere tota eum civitas sequeretur, vel pecunia, vel commodis obligata. Congregaverat sane opes innumeras tam in exactionibus curiæ, quam in legationum negotiationibus, quas ad expectatas mundinas reservarat. Insuper et paterni census ampla congeries eatenus sigillata, modo distributa in populum, ad fas et nefas venalem plebem armaverat. Quibus erogatis, donaria regum in ornamentis ecclesiæ ab ipsis evulsit altaribus. Et cum calices frangere, et crucifixos aureos membratim dividere ipsi profani Christiani vel timerent, vel erubescerent; Judæos aiunt esse quæritos, qui sacra vasa et imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Igitur quisque pro modo suo secundum majus et minus conducti ad scelus, sacramentis generalibus publice Petro vendiderunt assensum, et in omnem sanguinem manus exposuerunt et arma, et quotidianis congressibus partem, quæ cum Innocentio erat, maledictis insectabantur et gladiis.

2. Habuere igitur servi Dei consilium: et quia vi humana se tueri non poterant, cedere elegerunt; et procuratis clam navigiis, de ore Leonis et de manu bestie per Tiberim in Tyrrhenum mare elapsi, prosperis ventis carbasa impellentibus, in portum Pisanum feliciter appulerunt. [Audito tantorum virorum adventu, et cognita causa, propter quam de Urbe exierant, gratulata est Pisa, quod ad se Romani nominis gloria transferretur, **1093** et illis perpetuæ sibi infamiæ insculpentibus notam, sibi nominis æterni et perennis famæ inscriptio pararetur. Occurrunt ergo honorati et consules, et domini Papæ pedibus advoluti, gratias agunt, quod eos tanto dignos judicasset honore, ut eorum eligeret urbem, quam propria dignaretur illustrare præsentia. «Tua est, inquit, civitas, nos populus tuus: nostris stipendiis famulamur tibi; imo in usus tuos respublica quidquid apud se repositum habet, exponet. Nihil dupliciter invenies in Pisanis: non modo adhærebunt, modo resilient; modo jurabunt, modo juramenta dissolvent. Non inhiat populus iste rapinis domesticis et cædibus intestinis. Non est gens nostra domi audax, nec extra meticulosa. Nos nec servi sumus, nec domini: sed concives et fratres, honore invicem prævenientes, non seditiosis ausibus alterutrum provocantes. Domi mansuetudine utimur: fortitudinem nostram sæpe extranei experiuntur. Nos, Pœnis subactis et

Balearibus insulis subjugatis, terra marique de piratis et dyscolis triumphantes, reges eorum captivos in vinculis Pisam induximus: de quorum spoliis et varia suppellectile in adventu tuo ornantur compita et plateæ, et lætabunda civitas coronatur.» Post hujusmodi verba populo obviam procedente, præinnumerabili multitudine vix patebat advenientibus via: sed pedetentim procedentes, desideratam sui copiam prospicientibus per fenestras matronis et virginibus et parvulis carinales præbebant, et porrectis hinc inde benedictionibus, usque ad beatæ Mariæ canonicam, dominus Papa cum comitatu suo gloriose deductus, et honorifice susceptus est.]

3. Præmissi, antequam de Urbe egrederetur, a domino Papa in Gallias fuerant nuntii, qui dissensionis et schismatis a Petro facti ordinem Gallicanæ injimarent Ecclesiæ, et hortarentur episcopos, ut in ultionem præsumptionis hujus accingerentur, et damnata parte schismatica, subscriberent unitati. Necdum vero ad plenum tenor operis innotuerat episcopis, nec privatim quisquam commodare præsumpsit consensum, donec collecto Stampis generali conventu, in commune decernerent, quid reciperent, quid damnarent. Neque enim Francia, cæteris regionibus proclivibus ad schismata, aliquando tali factione [al. Guiberti vel Burdini susceptione] fœdata est, nec malignorum adquevit erroribus: nec fabricata est idolum in Ecclesia, venerata in Petri cathedra nostrum. Nec enim talibus in causis principalia aliquando eos terruerunt edicta, aut generalibus utilitatibus privata commoda prætulerunt; nec declinantes in partem personis detulere, sed causas: sed si quid oportuerit, fortiter persecutionibus obviarunt, nec damna nec exilia formidarunt. Convocato igitur apud Stampas concilio, abbas sanctus Claræ-Vallis Bernardus, specialiter ab ipso rege Francorum et præcipuis quibusque pontificibus accersitus sicut postea fatebatur, non mediocriter pavidus et tremebundus adventit, periculum quippe et pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem; unde speravit pacem sine dubio proventuram. Ubi vero ad locum ventum est, celebrato prius jejunio, et precibus ad Deum fuis, cum de eodem verbo tractaturi Rex et episcopi cum principibus cõsedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei, Dei famulo imponeretur, et ex ore ejus causa tota penderet. Quod ille, timens licet et tremens, monitis tamen virorum fidelium acquiescens suscepit, et diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam et famam prioris electi, aperuit os suum, et Spiritus sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum pontificem Innocentium nominavit: et ratum esse omnes pariter acclamarunt, et decantatis ex more laudibus Deo, **1094** obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt.

4. Interea dominus Papa, multis in Pisis, et in Tuscia, et in aliis provinciis potestative dispositis, valefaciens Pisanis et gratias agens in Provinciam navigio delatus est, et Burgundiam transiens Aurelianum pervenit: ubi, occurrentibus episcopis, a rege piissimo Francorum Ludovico alacriter et honorifice susceptus est. Inde a Gaufrido Carnotensi episcopo, magnarum virtutum viro, Carnotum deducitur: ubi etiam gloriosus Anglorum rex Henricus ei cum maximo episcoporum et procerum comitatu occurrit. Hunc quoque regem venerabilis Abbas ad eum præmissus adduxit: quem vix persuasit Innocentium recipere, ab episcopis Angliæ penitus dissuasum. Cum enim omnimodis recalitraret et detrectaret: « Quid times, » ait? « Times peccatum incurrere, si obedias Innocentio? Cogita, » inquit, « quomodo de aliis peccatis tuis respondeas Deo; istud mihi relinque, in me sit hoc peccatum. » Ad quod verbum persuasus rex ille tam potens, extra terram suam domino Papæ occurrit usque Carnotum. [Multa ibi dicta et facta sunt: multaque ibi sæcularia et ecclesiastica negotia definita.]

5. Reversi interim de Germania legati domini Papæ, tam episcoporum, quam Regis assensum et litteras detulerunt, et deprecationem publicam, ut ad eos transiens, suam eis desideratam exhiberet præsentiam. Facile enim persuasi sunt recipere eum, quem jam cæteri recepissent. Sed detinuit eum dilectio et devotio Ecclesiæ gallicanæ; et singuli et omnes visitationem apostolicam expetebant. Perlustrata igitur Francia, Remis convocavit concilium (an. 1134), in quo multis ad honorem Dei dispositis, regem Ludovicum, vivente patre, pro Philippo fratre coronavit in regem. In omnibus his dominus Papa Abbatem a se separari non paliebatur, sed cum cardinalibus rebus publicis assidebat. Sed et privatim quotquot habebant negotia, Virum Dei secretius consulebant. Ipse vero audita referebat ad curiam, et oppressis patrocinia exhibebat. Igitur soluto concilio, Leodium dominus Papa Romanorum regi occurrit (33). Et honorifice quidem susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidem importune idem rex institit, tempus habere se reputans opportunum, episcoporum sibi restitui investituras, quas ab ejus prædecessore imperatore Henrico per maximos quidem labores et multa pericula Romana Ecclesia vindicarat. Ad quod verbum expavere et expallere Romani, gravius sese apud Leodium arbitrati periculum offendisse, quam declinaverint Romæ. Nec consilium suppeditabat, donec murum se opposuit Abbas sanctus. Audacter enim resistens Re-

(33) Innocentii iter Leodium ante concilium Remense accidisse demonstratum est in Præfatione ad tomum primum.

(34) *Panis autopyrus* dicitur is ex quo nihil neque pollinis neque furfuris exeretum est, quasi totum in se triticum non imminutum habens. Vide Cels. lib. II. cap. 17. Differt a pane cibario: nam huic bona pars pollinis adempta est; et magna ex parte furfuraceus est. A simila autem differt: nam

gi, verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compescuit.

6. Rediens autem Leodio, Claram-Vallem dominus Papa per se ipsum voluit visitare: ubi a pauperibus Christi, non purpura et bysso ornatis, nec cum deauratis Evangelis occurrentibus, sed pannosis agminibus scopulosam bajulantibus crucem, non tumultuantium classicorum tonitruo, non clamosa jubilatione, sed suppressa modulatione affectuosissime susceptus est. Flebant episcopi, flebat ipse summus Pontifex: et omnes mirabantur congregationis illius gravitatem, quod in tam solemni gaudio oculi omnium humi defixi, nusquam vagabunda curiositate circumferrentur; sed complosis palpebris ipsi neminem viderent, et ab omnibus viderentur. Nihil in ecclesia illa vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi supellex eorum sollicitavit aspectum; nihil in oratorio nisi nudos viderunt parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio, nec damnosa poterat esse fratribus hujusmodi præda, cum minui non posset asportata religio. Gaudebant omnes in Domino, et solemnitas non cibus, sed virtutibus agebatur. Panis ibi autopyrus (34) pro simila, pro careno sapa, pro rhombis 1095 olera, pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur. Si forte piscis inventus est, domino Papæ appositus est, et aspectu, non usu in commune profecit.

7. Invidit diabolus, et servorum Dei gloriam, quos tanti hospitis nobilitabat præsentia, ferre non valens, dum in choro alacriter psallerent et devote, præsentibus etiam nonnullis ex cardinalibus, qui in auditu et aspectu eorum delectabantur, aliquantos fratrum horribili pavore turbavit. Nam et unus præ cæteris occupatus, blasphema quædam verba locutus est, « Dicite, » inquit, « Ego sum Christus: » et alii plures terri et tremebundi, ad beati Patris vestigia confugerunt. At ille conversus ad cæteros, « Orate, » inquit: ac deinceps sub silentio eos qui turbati videbantur eduxit, atque compescuit; ut nequissimus ille, qui conventum pietatis transferre conabatur in theatrum, et scholam innocentiam in derisum, non, ut putabat, estimationem religiosorum hominum corrumpere posset, sed se proderet, et conatus suos experiretur infirmos. Tanta siquidem celeritate omnia sunt sedata, ut personas illas, quæ prope astabant, omnino, latuerit quod acciderat; et malignus hostis velociter increpatus, non modo scandalum eis quod parabat, inferre nequiverit, sed nec ad illorum notitiam rem perferre. Factumque est ex eo, ut am-

hæc est medulla farinæ triticæ, hoc est, ea pars quæ media est inter pollinem, et secundarium. Carenum, ex Laurentio Lucensi, est vini dulcis cocti genus. Sapa vero (alias vinum ad tertiam decoctum significans) est succus herbarum: unde fortasse gallice *soupe* pro jusculo; hic opinor positum pro *zyto* seu *cervisia* vel *ptisanna*. Rhombus, gallice *turbot*, piscis plani genus.

priori sese custodia fratres munirent: et merito, et numero, et possessionibus deinceps cresceret Clara-Vallis, et multiplicatis conventibus, fere per omnem latitudinem loci illius dilataretur religio; ipse etiam Abbas sanctus extunc amplius solito miraculis clareret et signis.

CAPUT II.

De synodo Pisis per Innocentium celebrata. Item de Mediolanensibus opera Bernardi Ecclesiæ reconciliatis, et energumenis ibidem curatis.

8. Longas in Gallis facere moras dominus Papa non potuit; sed, sicut cum Lothario rege condixerat, Romam ei occurrit, et vi exercitus in Lateranense palatium deductus est. Multi etiam ex nobilibus Romanis, fideles Ecclesiæ, eum honorifice susceperunt. Verum Petrus Leonis non ponens Deum adiutorem suum, sed confederatorum stipatus malitia, in editoribus et tutioribus turribus manens, Lotharii ludificavit virtutem, et interdicens suis congressus publicos, nec sibi securitatis suæ fecit periculum, nec causam conflictus hostibus dedit: sed tamen liberum eorum discursum machinis superioribus et obstaculis variis impedivit. Vitavit etiam obstinatissime imperatoris colloquium, nec minis, nec blandimentis flexus est, nec de statu suo consilium cujuslibet personæ admisit. Relicto igitur Romæ Innocentio, alias imperator digreditur: Petrus vero post ejus discessum crebros movens per Urbem excursus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergo Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, ne præsentia sua illius bestię rabiem efferaret, rursus Pisas revertitur (35): ibique aggregatis totius Occidentis episcopis, aliisque religiosis viris, magnæ gloriæ synodus celebratur (an. 1134). Adfuit per omnia et consiliis, et judiciis, et definitionibus omnibus sanctus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, et exorbant ante ejus limina sacerdotes; non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum: et aliis egredientibus, alii introibant, ita ut videretur Vir humilis, et nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte sollicitudinis, sed in plenitudine potestatis. Actiones concilii longum est prosequi: summa tamen in excommunicatione Petri et irregressibili fautorum ejus deiectione constitit, et usque hodie hæc sententia perseverat.

9. Soluta concilio, ad reconciliandos Mediolanenses dominus Papa Abbatem Claræ-Vallis, quem multis supplicationibus expetierant, et Guidonem Pisanum, et Mathæum Albanensem episcopum a latere suo direxit (36), qui schisma per Anselmum in eadem urbe factum apluerent, et ad unitatem Ecclesiæ devios revocarent. Abbas igitur cum prædictis viris, quos a domino Papa collegas acceperat, addidit consortio et communi consilio virum 1096 venerabilem Gaufridum Carnotensem episcopum, cujus innocentiam et sinceritatem in

(35) Vid. epist. 130.

multis probaverat. Etenim visum est cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium tanti ponderis fulciretur. Transcens itaque Apenino, ubi audierunt Mediolanenses Abbatem desideratum suis finibus propinquare, longe a civitate milliaribus septem omnis ei populus obviat: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de civitate migrarent, proprios lares deserunt, et dictinctis agminibus incredibili reverentia Virum Dei suscipiunt. Omnes pariter delectantur aspectu, felices se judicant qui possunt frui auditu. Deosculantur pedes ejus universi: et licet hoc ille moleste acciperet, nulla potuit pronos et devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos quos poterant de indumentis ejus, et ad morborum remedia de pannorum laciniis aliquid detrahebant, omnia sancta, quæ ille tetigisset, judicantes, et se tactu eorum vel usu sanctificari. Præcedentes itaque et subsequentes lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati et diu intra agminum spissamenta detentum, tandem solemniter reddidere hospitio. Et cum tractatum esset in publico de negotio, propter quod tam Vir Dei, quam cardinales advenerant, oblita fortitudinis suæ civitas, omni ferocitate deposita, se ita Abbati substravit, ut obedientiam eorum non incongrue ille posset aptari poetæ versiculus:

Jussa sequi, tam velle mihi, quam posse necesse est.

10. Pacatis omnibus, reconciliata Ecclesia, firmatis inter plebes concordiam pactionibus, alia cœperunt nasci negotia, et insanienti diabolo, et in quibusdam obsessis corporibus debacchanti, oppositum est Christi vexillum, et increpante Viro Dei, de possessis atris superveniente eminentiori virtute, territa et tremebunda diffugere dæmonia. Ecce nova legatio, non Romanum pragma circumferens, sed divinis legibus fidei pragma allegans, prolatis in medium litteris sanguine Christi conscriptis, et bulla crucis impressis, quæ figura auctoritate sua terrestria et inferna sibi subdit et curvat. Inaudita est nostris temporibus tanta populi fides, tanta in homine virtus: inter quos religiosa erat contentio, cum signorum gloriam Abbas credulitati eorum, illi vero sanctitati Abbatis ascriberent, et hoc de eo indubitanter sentirent, ut quidquid a Domino peteret, impetraret. Adducunt igitur ad eum nihil hæsitantes mulierem omnibus notam, quam annis septem immundus vexaverat spiritus: et postulant supplices, ut in nomine Domini dæmoni imperet fugam, et mulieri restituat sospitatem. Quæ populi fides non minimam verecundiam Viro Dei ingerebat, et humilitate magistra, inconsueta experiri non præsumebat, et instante petitione populi erubescibat, si charitati postulantium obstinatius resisteret: et videbatur ei quod offenderet Deum, et omnipotentiam ejus diffidentia obnubilare videretur, si fide populi fides propria dissentiret. Æstuebat igitur secum, et licet signa non fidelibus, sed infide-

(36) Eod. an. 1134; vid. epist., 131

libus, fieri oportere assereret; ausus suos Spiritui sancto committit, et orationi incumbens; cœlitus elapsa virtute Satanam in spiritu fortitudinis increpat et fugat, mulieremque reddit incolumem et quietam. Lætantur qui aderant, et levantes manus ad sidera; Deo qui de excelso eos visitavit, gratias agunt. Auditum est hoc verbum, et percerebuit fama, et repente totam percudit urbem; per ecclesias, per prætoria, et per compita omnia conveniunt undique: de Viro Dei sermo habetur ubique; dicunt publice, nihil ei impossibile esse quod a Domino postulet, et ad preces ejus apertas Dei aures dicunt et credunt, prædicant et affirmant. Nec possunt aspectu ejus, vel auditu ullo modo satiari. Irruunt alii in præsentiam ejus: alii, donec exeat, pro foribus præstolantur. Cessatum est ab officiis et artibus, tota civitas in hoc spectaculum suspensa manet: concurrunt, postulant benedici; et tetigisse eum singulis salutare videtur.

11. Tertia die ad ecclesiam sancti Ambrosii divina celebraturus mysteria Servus Dei procedit: ubi expectante innumera populi multitudine, inter ipsa missarum solemnia, dum clericis canentibus ipse secus altare sederet, puellam ei parvulam offerentes, quam vehementi impetu **1197** vexabat diabolus, orant ut misellæ subveniat, et diabolum in ea debacchantem elidat. Audita supplicatione astantium, et intuitus personam frendentem dentibus et stridentem, ut etiam intuentibus esset horrore, compassus est ætati, et vehementiæ anxietatis ejus condoluit. Patenam igitur calicis, in quo divina celebraturus erat mysteria, accipit: et digitis laticæ superfuso, orans intra se, et de Domini virtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, et corpori ejus stillam medicinalem infundit. Nec mora, quasi uretetur Satanus, infusionis illius virtutem ferre non potuit, sed urgente intrinsecus crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit. Sic purgata persona, diabolo profugo et confuso, laudes debitas Deo canit ecclesia: et post acclamations lætabundas alacer populus ibidem, donec divina compleantur mysteria, immobilis perseverat. Sub aspectu itaque omnium incolumis puella a suis domum reducit, et vix tandem a populo dimissus ad hospitium Viri Dei revertitur.

12. Divino judicio ea tempestate in Mediolano, juxta Isaïæ verbum, pilosi clamabant alter ad alterum, et occurrebant onocentauris dæmonia, (*Isa. xxxiv, 14*), et effrenatis decursibus plurimos infestabant: nec erat qui insolentiæ eorum resisteret, cum diu sub Anselmi schismate, qui Patri fautor Mediolanensem occupaverat cathedram, sacerdotes gementes, virgines squalidæ, sanctificationes maledictæ, altare pollutum iram Dei in populum provocassent. At vero in adventu Viri Dei abdicatis Anselmi præstigiis, et in Sedis apostolicæ obedientiam sub Innocentio revocata ecclesia, impedita est illa dæmonum licentia, et quotidie dabat locum, et ad preces Viri Dei diffugiebat diabolus: et si quando resistere

conabatur, in ipso conflictu succumbens gloriosus vincebatur.

CAPUT III.

De expulsionem dæmonum a variis obsessis, tum virtute Eucharistiæ, tum panis et aquæ benedictæ, tum signi crucis. Item de aliis curationum beneficiis.

13. Inter eos igitur qui vexabantur, mulier grandæva, civis Mediolanensis, et honorata quondam matrona, usque ad ecclesiam beati Ambrosii post beatum Virum a multis tracta est; in cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, et jam ita suffocaverat eam, ut visu et auditu et verbo privata, frendens dentibus, et linguam in modum promuscidis elephantinæ protendens, monstrum non femina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fetidus, inhabitatoris Satanæ colluvia testabantur. Hanc cum aspexisset Vir Dei, novit inhærentem ei et inviscatum (*Al. invisceratum*). diabolum, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conversus ad populum, cujus innumera aderat multitudo, orare jubet attentius, et clericis, et monachis secum juxta altare consistentibus mulierem ibidem jubet constitui et teneri. Illa vero reluctans, et vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non sine aliorum injuria, ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansueti ille contempsit: et ad expulsionem non indignatione iræ; sed pacifica et humili supplicatione Deum invocat adiutorem, et ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eandem sacram hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito spiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam et ille malignus, quoties adversus eum signum crucis intenditur, percussus se indicans, acrius sævit, et recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit invitus.

14. Expleta autem oratione dominica, efficacius hostem aggreditur Vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, et mulieris capiti superponens, talia loquebatur: « Adest, inique spiritus, Judex tuus, adest summa potestas. Jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus: *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan. xii, 31*). Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte **1098** surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cœlum. In hujus ergo majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens contingere eam deinceps non præsumas. » Cumque eam invitus deserens, et manere ultra non valens, atrocibus afflictaret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens; rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris rite complevit, diffundendamque in populum pacem ministro dedit; et confestim pax et salus integra reddita est mulieri. Sic ille nequam, divina mysteria quantæ sint efficientiæ

et virtutis, non confessione, sed fuga coactus ostendit. Fugato diabolo mulier, quam in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis suæ compos effecta, rediit cum ratione sensibus, revoluta intra fauces lingua, Deum confessa gratias egit, et intuita curationem suam, pedibus ejus advoluta est. Ingens per ecclesiam attollitur clamor, omnis ætas jubilat Deo, personant æramenta, benedicuntur ab omnibus Deus, excedit veneratio modum, et Servum Dei supra hominem, si dici fas est, liquefacta charitate civitas veneratur.

15. Audiebantur hæc quæ Mediolani fiebant: et per totam Italiam Viri Dei discurrerebat opinio, et divulgabatur ubique quod surrexisset propheta magnus, potens in opere et sermone, qui invocato Christi nomine, et infirmos curaret, et obsessos a dæmonibus liberaret. Maxima quidem ei in curationibus ægritudinum gratia, sed in dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat, quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia concurrebat, et majorum operatio virtutum minores obscurabat effectus. Jam vero præ frequentia populi qui a mane usque ad vesperam foribus assidebat, oppressionem vulgi præ corporis imbecillitate non ferens, ad fenestras domus procedens, se eis conspiciendum præbebat, et elevata manu benedicebat eis. Panes quoque et aquam devehebant secum, quibus benedictioni ejus suppositis, pro beneficiis ea sacramentalibus referebant. Ex vicinis sane castellis, et vicis, et urbibus multi confluebant, et communia tam advenarum, quam civium in Mediolano studia erant prosequi Sanctum, expectere beneficium, audire verbum, videre signum; et doctrina et miraculis ultra quam credibile est, delectabantur.

16. Aderat inter eos quidam ex suburbanis, qui puerum dæmoniacum illuc advexerat: qui repente coram omnibus ad signum crucis, quod Vir sanctus edidit, de bajuli sui brachiis ruit, et elisus humi quasi mortuus sine ullo sensu immobilis visus est: neque vox, neque halitus erat in eo, tantum circa præcordia exiguus ei supererat vapor. Dant igitur cæteri locum ut posset procedere, et admitti ad Virum Dei seminecis pueri bajulus; et attonita multitudo tam miserabilis casus præstolabatur eventum. Ingressus igitur ad Virum Dei homo est, et puerum stupidum, nec aliquid sentientem ante pedes Abbatis exposuit, et ait: « Puer iste, domine pater, quem ante tuos posui pedes, jam per triennium a dæmonio acerrime vexatus est: et quoties vel ecclesiam ingreditur, et salibus exorcizatis aspergitur, vel signum ei crucis imponitur, vel Evangelium audire compellitur, vel divinis interest Sacramentis, offenditur habitator ejus diabolus, et torquetur atrocius. Dumque modo cum cæteris ego pro foribus expectarem, signum sanctæ crucis figurante te, et extendente in populos sacramentalium signorum virtute exacer-

« batus diabolus, vehementius solito totus ad pueri vexationem se contulit: et sicut vides, totum corpus ejus occupans, fere ei etiam vitalem spiritum intercludit. Sed et ipse puer, cum audita esset apud nos gratiæ, quam a Deo accepisti, opinio, ex aliorum curationibus suam sperans salutem, rogavit me ut eum ad te adducerem. Obsecro igitur per misericordiam Dei, ut et laboribus meis, qui in ejus custodia operam damnosam et periculosam impendo, et illius miseriæ, quæ tanta est, quantam ipse oculis probas, pio et consueto affectu subvenias, et rabiem dæmonis non usquequaque procedere patiaris. » Flebat igitur, et lacrymis ora perfusus præsentem quosque commovit, ut omnes pariter supplicarent.

1099 17. Tunc Vir Dei confidere eos in Dei misericordia jubens, baculo cui innitebatur colulum pueri leniter tangit. Sed et frater ejus Gerardus volens experiri quæ ab homine dicta fuerant, latenter dorso ejus signum crucis impressit. Cumque prius sine motu et sensu nec videns, nec audiens, ante pedes Abbatis diu extensus pavimento hæsisset; ad tactum baculi et ad signum crucis infremuit, et turbatus ingemuit. Jubet igitur Abbas super proprium lectulum eum poni. At ille quasi ex injuria offensus rejecit se in pavementum, et stridebat dentibus, et mordebat procuratorem suum: et capillis eorum qui aderant, manus injiciens, quo poterat conatu se ab eorum manibus abstrahere, et ab eis vix teneri poterat. « Eia, » inquit Abbas, « ad lectum nostrum eum reduce. » Orante itaque Abbate, et fratribus in oratione prostratis, quasi ardentibus paleis, quæ in lecto continebantur, diabolus ureretur, tormenti æstuantis, vi divina propinquante, passionem clamoribus testabatur, Jubet igitur Vir sanctus aquam benedictam in os patientis infundi: quam ille pressis labiis et dentibus non admittens, vix tandem cuneo infixi dissolvente pressuram, vellet, nollet, intra fauces et guttur recepit. Confestimque ut penetrans sanctificatio ad interiora descendit, quasi infuso antidoto vis maligna erupit, et vomitu sordidissimo, quasi torrentis impulsu, festina præcipatione rotatus cum ingenti contumelia dæmon exivit. Repente qui videbatur mortuus, vivit: et de lecto Abbatis quietus et incolumis surgens patronumque [*Al. patrum*] suum amplexatus, « Deo gratias, sanus sum, » inquit. Gratias agunt omnes communiter Deo et qui modo flebant, lætantur. Foras clamor effunditur, res intus gesta super tecta solemniter prædicatur, tota ad spectaculum convenit civitas, benedicuntur Deus, gaudet populus, in Abbate tanti operis patratore totius plebis requiescit affestus.

18. Fabricitantibus multis idem Sanctus manus imponens, et aquam benedictam porrigens ad bibendum, sanitatem obtinuit: aridas manus, et membra paralyti dissoluta tangens incolumitati restituit: cæci etiam sub multorum testimonio in